

tionis causa argumenta ex ratione accersita suo loco admitti posse. Adeo cum probata veritas absque eorum adminiculo salva stet atque integra, tanquam principio iis inniti Theologus opus non habet. Ostendunt ejusmodi argumenta, non quomodo Revelatio tanquam obscura, ab adjuncto rationis lumine lucem nanciscatur, sed quomodo potius Ratio a Revelatione illustrata ipsi obsequium præstet, & quasi post factam illustrationem tales veritates ipsa per se quoque cognoverit, sine coactione suum judicium ipsi tanquam norma subiciat. Talia argumenta v. g. sunt, si in S. S. Trinitatis mysterio ex S. Literis probando tres distinctas in Divinitate personas esse, illas vero personas non esse nisi DEum unum, postmodum ex Mathesi ostendam rationi, quod omnino illa veritas suis principiis non adversetur, licet comprehendendæ illi impar sit, cum in Mathematicis etiam demonstrantur lineæ semper propius propiusque ad se invicem accedentes, etiamsi conjungi in infinitum nequeant, quod omnino rationi quoad modum, ut ita dicam essendi, incomprehensibile est, adeo licet verum, ut nisi impudentissimus ipsi refragari nequeat. Ita in eodem articulo simili quodam uti solent ostendendo, aquam, nivem & glaciem tria distincta esse, quamvis omnia sint ejusdem essentia.

§. 3. Stabiliendæ vero sententiæ nostræ passim S. Scriptura facit, Rationem imbecillitatis suæ ac cœcitatatis hinc inde admonens. *Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI: stultitia enim illi sunt, non potest ea intelligere 1. Cor. II. 14.* Qua via itaque pro spiritualibus veritatibus earumque confirmatione, argumenta eliciet? Quo modo quis verum esse comprobet, quod non intelligit? Neque adeo vel ex parte Articulorum fidei, neque ex parte rationis ipsius, Apostolus huic judicandi facultatem aut aptitudinem permittit, dum non solum rationis cœcitatem clarissime adstruit, verum etiam, cum ea, quæ sunt spiritus, animali homini stultitiam esse monet, luculenter mysteriorum conditionem, rationis captum longe transcendentium, declarans; conf. *Jac. III. 15.* Nec de cognitione viæ ad salutem ducentis potius quam de Mysteriis hoc intelligendum est, prout Smalcus putat, dilucide id probante